

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Venia o  
cum fonte primo

Si peccauerit in nos frater noster et in qualibet causa nos leserit, dimittendi habemus potestatem immo necessitatem quia Dominus precipit ut debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrii, ut dicit scriptura: Si peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos; si autem peccauerit in Deum, quis rogabit pro eo? Nos econtrario in Dei iniuriam benigni sumus et in nostris contumeliis odia exercemus.

Ieronymus super illud Matthei XVIII.: Si peccauerit in te frater tuus.

Si peccauerit in nos frater noster et in qualibet causa nos laeserit, dimittendi habemus potestatem, immo necessitatem, qua praecipitur ut debitoribus nostris debita dimittamus; sin autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrii. Dicit enim scriptura diuina: Si peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo sacerdos; si autem in Deum peccauerit, quis rogabit pro eo? (cf. 1 Reg. 2:25). Nos e contrario in Dei iniuria benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia.

Hieronimus Stridonensis, *Commentarii in euangelium Matthei*, 3 (CCSL 77, D. Hurst & M. Adriaen eds., p.161, ll.606-614).